

ergo ad hoc pertinere quod dixit : « Erubescant , et conturbentur omnes inimici mei : » ut de peccatis suis agant pœnitentiam , quod sine confusione et conturbatione fieri non potest. Nihil itaque impedit sic accipere et illud quod sequitur , « Convertantur et erubescant , » id est , convertantur ad Deum , et erubescant se in prioribus tenebris peccatorum aliquando gloriosos : sicut Apostolus dicit : « Quam enim gloriâ habuistis aliquando in his , » in quibus nunc erubescitis¹ ? » Quod autem addidit , « Valde velociter , » aut ad optantis affectum , aut ad Christi potentiam referendum est , qui gentes quæ pro idolis suis persequiebantur Ecclesiam , ad Evangelii fidem tanta temporum celeritate convertit.

ENARRATIO

IN PSALMUM VII.

Psalmus ipsi David , quem cantavit Domino pro verbis Chusi , filii Gemini².

I. HISTORIA quidem , unde occasionem ista prophetia sumpsit , in Regnorum secundo libro cognoscere facile est³. Ibi enim Chusi amicus regis David transitum fecit in partes Abessalon filii ejus , qui adversus patrem bellum gerebat , ad exploranda consilia et renuntianda quæ adversus patrem ille moliebatur , auctore Achitopel , qui defecerat ab amicitia David , et filium ejus adversus patrem consiliis quibus posset , instruebat. Sed quoniam non ipsa historia in hoc Psalmo consideranda est , de qua Propheta myste-

¹ Rom. vi , 21. — ² Psal. vii , 1. — ³ 2 Reg. 16.

riorum velamen assumpsit , si transitum ad Christum fecimus , auferatur velamen¹. Et primo ipsorum nominum significationem interrogemus , quid sibi velit. Non enim defuerunt interpretes , qui hæc ipsa non carnaliter ad litteram , sed spiritaliter investigantes , edicerent nobis quod Chusi interpretetur Silentium ; Gemini autem , Dexter ; Achitophel , Fratris ruina. Quibus interpretationibus rursum nobis traditor ille Judas occurrit , ut Abessalon ejus imaginem gestet , secundum quod Patris pax interpretatur ; quia pacatus erga illum extitit pater : quamvis ipse dolis suis bellum haberet in corde , sicut in Psalmo tertio tractatum est². Quemadmodum autem invenitur in Evangelio filios Domini nostri Jesu Christi dictos esse Discipulos³ , sic in eodem Evangelio invenitur etiam fratres esse appellatos. Resurgens enim Dominus ait : « Vade , et dic fratribus meis⁴. » Et Apostolus eum dicit primogenitum in multis fratribus⁵. Discipuli ergo ejus ruina qui eum tradidit , recte intelligitur Fratris ruina , quod Achitophel interpretari diximus. Chusi autem , quod interpretatur Silentium , recte accipitur adversus illos dolos Dominum nostrum silentio dimicasse , id est , altissimo secreto quo cæcitas ex parte Israël facta est , cum Dominum persequerentur , ut plenitudo gentium subintraret , et sic omnis Israël salvus fieret. Ad hoc profundum secretum altumque silentium cum venisset Apostolus , exclamavit quasi quodam ipsius altitudinis horrore percussus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei , quam inscrutabilia sunt judicia ejus , et investigabiles viæ ipsius ! Quis enim cognovit mentem Domini , aut quis consiliarius illius fuit⁶ ? » Ita magnum illud silentium non expositione magis aperit , quam admiratione commendat. Hoc

¹ 2 Cor. iii , 16. — ² Enarrat. in Psal. iii , n. 1. — ³ Matth. ix , 15. — ⁴ Joan. xx , 17. — ⁵ Rom. viii , 29. — ⁶ Id. xi , 33 , 34.

silentio Dominus sacramentum venerabilis passionis occultans, voluntariam ruinam fratris, id est, nefarium scelus traditoris sui, in suæ misericordiæ atque providentiæ ordinem vertit : ut quod ille ad perniciem unius hominis perversa mente faciebat, iste ad salutem omnium hominum provida gubernatione conferret. Cantat ergo Psalmum Domino anima perfecta, quæ jam digna est nosse secretum Dei. Cantat « Pro verbis Chusi, » quia meruit nosse verba illius silentii. Apud infideles enim et persecutores silentium est illud atque secretum. Apud suos autem, quibus dictum est : « Jam non dico vos ser- » vos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, » » autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, » nota feci vobis¹ : » apud amicos ergo ejus non est silentium, sed verba silentii, id est, ratio exposita et manifesta illius silentii. Quod silentium, id est, Chusi, dicitur filius Gemini, id est, dextri. Non enim abscondendum erat sanctis quod pro illis gestum est. Et tamen, « Nes- » ciat, inquit, sinistra, quid faciat dextra². » Canit ergo anima perfecta in prophetia, cui secretum illud innotuit, » Pro verbis Chusi, » id est, pro cognitione ejusdem secreti. Quod secretum, dexter Deus, id est, favens atque propitius ei operatus est. Quare hoc silentium Filius dextri appellatur, quod est « Chusi filii Gemini. »

II. « Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac » ex omnibus persequentibus me, et eripe me³. » Tanquam cui non restat jam perfecto nisi invidus diabolus, superato omni bello atque adversitate vitiorum, dicit, « Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et eripe » me : nequando rapiat ut leo animam meam⁴. » Dicit Apostolus : « Adversarius vester diabolus tanquam leo ru-

¹ Joan. xv, 15. — ² Matth. vi, 3. — ³ Psal. vii, 2. — ⁴ Ibid. 3.

» giens circuit, quærens quem devoret¹. » Itaque cum diceret per pluralem numerum, « Salvum me fac ex om- » nibus persequentibus me, » singularem postea intulit, dicens, « Nequando rapiat ut leo animam meam. » Non enim ait : « Nequando rapiant : » sciens quis restiterit inimicus, et perfectæ animæ vehementer adversus. « Dum non » est qui redimat, neque qui salvum faciat : » id est, ne ille rapiat, dum tu non redimis, neque salvum facis. Si enim Deus non redimat, neque salvum faciat, ille rapit.

III. Et ut manifestum sit jam perfectam animam hoc dicere, cui solius diaboli fraudulentissimæ insidiæ cavendæ sunt, vide quid sequatur : « Domine Deus meus, si » feci istud². Quid est quod vocat « Istud? » An quia non dicit nomen peccati, universale peccatum intelligendum est? Qui intellectus si displicet, illud accipiamus dici quod sequitur : tanquam si interrogassemus, quid est hoc quod dicis, « Istud? » respondet, « Si est iniquitas in ma- » nibus meis. » Jam ergo manifestum est, de omni peccato dici, « Si reddidi retribuentibus mihi mala³. » Quod non potest vere dicere, nisi perfectus. Ait quippe Dominus : « Estote perfecti, sicut Pater vester qui est in caelis, » qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit » super justos, et injustos⁴. » Qui ergo non reddit retribuentibus mala, perfectus est. Cum itaque oret anima perfecta, « Pro verbis Chusi, filii Gemini, » id est, pro cognitione illius secreti atque silentii, quod pro salute nostra operatus est propitius nobis et misericors Dominus, ut toleraret et patientissime sustineret dolos traditoris sui : tanquam huic perfectæ animæ, dicat, exponens rationem ipsius secreti : « Ego pro te impio et peccatore, ut tuæ iniquitates mei sanguinis effusione lavarentur, magno silentio et magna patientia traditorem meum pertuli, nonne

¹ 1 Petr. v, 8. — ² Psal. vii, 4. — ³ Ibid. 5. — ⁴ Matth. v, 45 et 48.

imitaberis me, ut et tu non reddas mala pro malis? » Animadvertens igitur et intelligens quid pro illo fecerit Dominus, et ejus exemplo ad perfectionem proficiens, dicit : « Si reddidi retribuētibus mihi mala : » id est, si non feci quod tu faciendo docuisti : « Decidam ergo ab inimicis meis inanis. » Et bene non ait : « Si reddidi retribuētibus mihi mala ; » sed, « Retribuētibus. » Qui enim retribuit, jam aliquid acceperat. Majoris autem patientiæ est, nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quam si nullo ante accepto beneficio nocere voluisset. « Si reddidi ergo, inquit, retribuētibus mihi mala : » id est, si te non imitatus sum in illo silentio, hoc est, patientia tua, quam pro me operatus es : « Decidam ab inimicis meis inanis. » Inaniter enim se jactat, qui cum et ipse homo sit, cupit se de homine vindicare : et cum superare hominem palam quærit, occulte a diabolo superatur, inanis effectus vana et superba lætitia, quod quasi vinci non potuit. Intelligit ergo iste ubi major fiat victoria, et ubi Pater reddat qui videt in occulto¹. Ne reddat itaque retribuētibus mala, iram potius quam hominem vincit : illis etiam litteris eruditus, in quibus scriptum est : « Melior est qui vincit iram, quam » qui capit civitatem². Si reddidi retribuētibus mihi » mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis³. » Jurare videtur per execrationem, quod est gravissimum jurisjurandi genus, cum homo dicit : « Si illud feci, illud patiar. » Sed aliud est juratio in ore jurantis, aliud in significatione prophetantis. Hic enim dicit quid vere contingat hominibus, qui reddunt retribuētibus mala ; non quod sibi, aut aliqui, quasi jurejurando imprectetur.

IV. « Persequatur ergo inimicus animam meam, et

¹ Matth. vi, 6. — ² Prov. xvi, 32, juxta lxx. — ³ Psal. vii, 5.

» comprehendat¹. » Iterum inimicum singulari numero nominans, illum magis magisque manifestat, quem superius velut leonem appellavit. Ipse enim animam persequitur ; et si deceperit, comprehendet. Nam homines usque ad interfectionem corporis sæviunt ; animam vero post istam visibilem mortem in potestate habere non possunt : diabolus autem quas animas persecutus comprehenderit, possidebit. « Et conculcet in terram vitam meam : » id est, conculcando terram faciat vitam meam, cibum scilicet suum. Non enim tantum leo, sed etiam serpens appellatus est, cui dictum est : « Terram manducabis. » Et peccatori homini dictum est : « Terra es, et in terram » ibis². Et gloriam meam in pulverem deducat. » Hic est illa pulvis, quem projicit ventus a facie terræ³, superbiorum scilicet vana et inepta jactantia, et inflata non solidata, tanquam vento elatus pulveris globus. Recte itaque hic posuit gloriam : quam non vult in pulverem deduci. Vult enim eam solidam habere in conscientia coram Deo, ubi nulla jactantia est. « Qui gloriatur, in Domino » mino gloriatur⁴. Ista soliditas in pulverem deducitur, si per superbiam quisque contemnens secreta conscientiæ, ubi solus Deus hominem probat, velit apud homines gloriari. Hinc est quod alibi dicit : « Deus conteret ossa planetium hominibus⁵. » Qui autem bene didicit vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. « Initium autem omnis peccati superbia : » et, « Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo⁶. »

V. « Exurge, Domine, in ira tua⁷. » Quid adhuc istem quem perfectum dicimus, ad iram provocat Deum ? Nonne

¹ Psal. vii, 6. — ² Gen. iii, 14 et 19. — ³ Psal. i, 4. — ⁴ 1 Cor. i, 31. — ⁵ Psal. lxx, 6. — ⁶ Eccli, x, 14, 15. — ⁷ Psal. vii, 7.

videndum est ne potius ille perfectus sit, qui cum lapidaretur, dixit : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum¹ ? » An et iste non adversus homines hæc precatur, sed adversus diabolum et angelos ejus, quorum possessio peccatores atque impii homines sunt? Non ergo sæviens, sed misericors adversus eum orat, quisquis orat ut ei auferatur ista possessio, ab illo Domino qui justificat impium². Cum enim justificatur impius, ex impio fit justus; et ex possessione diaboli, migrat in templum Dei. Et quoniam pœna est, ut cuique auferatur possessio, in qua dominari desiderat, hanc pœnam dicit iram Dei adversus diabolum, ut desinat possidere quos possidet. « Exurge, Domine, in ira tua. Exurge, » hic appare dixit, humanis videlicet et latentibus verbis, quasi Deus dormiat, cum in secretis suis incognitus latet. « Exaltare in finibus inimicorum » meorum. » Fines dixit ipsam possessionem, ubi vult Deum exaltari potius, id est, honorari et glorificari, quam diabolum, dum impii justificantur et laudant Deum. « Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti³ : » id est, quia humilitatem præcepisti, humilis appare; et tu prior imple quod præcepisti, ut exemplo tuo vincentes superbiam, non possideantur a diabolo, qui adversus tua præcepta superbiam persuasit, dicens : « Manducate, et aperientur vobis oculi, et eritis tanquam dii⁴. »

VI. « Et congregatio populorum circumdabit te⁵. » Duplex intellectus est. Congregatio enim populorum, sive credentium, sive persequentium potest accipi, quorum utrumque eadem Domini nostri humilitate factum est : quam contemnens persequentium multitudo, circumdedit eum; de qua dictum est : « Quare fremuerunt gentes, et » populi meditati sunt inania⁶ ? » Credentium autem per

¹ Act. vii, 19. — ² Rom. iv, 5. — ³ Psal. vii, 7. — ⁴ Gen. iii, 5. — ⁵ Psal. vii, 8. — ⁶ Id. ii, 1.

ejus humilitatem multitudo ita eum circumdedit, ut verissime diceretur : « Cæcitas ex parte Israël facta est, ut » plenitudo gentium intraret¹ : » et illud; « Postula a » me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessio- » nem tuam terminos terræ². Et propter hanc in altum » regredere, » id est, propter hanc congregationem regredere in altum : quod resurgendo et in cœlum ascendendo fecisse intelligitur. Ita enim glorificatus dedit Spiritum sanctum, qui ante glorificationem ejus dari non posset, sicut in Evangelio positum est : « Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus³, » Regressus ergo in altum propter congregationem populorum, misit Spiritum sanctum : quo impleti prædicatores Evangelii orbem terrarum Ecclesiis impleverunt.

VII. Potest et sic iste sensus intelligi : « Exurgere, Do- » mine, in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum meo- » rum⁴ : » id est, exurge in ira tua, et non te intelligant inimici mei : ut hoc sit « Exaltare, » id est, altus efficere, ne intelligaris; quod refertur ad illud silentium. Sic enim de hac exaltatione in alio Psalmo dicitur : « Et ascendit » super Cherubim, et volavit. Et posuit tenebras latibus » lum suum⁵. » Qua exaltatione, id est, occultatione, cum te merito peccatorum suorum non intellexerint qui te crucifigent, congregatio credentium circumdabit te. Ipsa enim humilitate exaltatus est, id est, non est intellectus. Ut ad hoc referatur, « Et exurge, Domine Deus meus, in » præcepto quod mandasti⁶ : » id est, cum appares humilis, altus esto, ut non te intelligant inimici mei. Justo autem sunt peccatores inimici, et pio impii. « Et congregatio populorum circumdabit te⁷ : » id est, per hoc ipsum quod non te intelligunt qui te crucifigent, credent in te

¹ Rom. xi, 25. — ² Psal. ii, 8. — ³ Joan. vii, 39. — ⁴ Psal. vii, 7. — ⁵ Id. xvii, 11, 12. — ⁶ Id. vii, 7. — ⁷ Ibid. 8.

gentes, atque ita congregatio populorum circumdabit te. Sed quod sequitur si vere hoc significat, plus doloris habet quia jam incipit sentiri, quam lætitiæ quia intelligitur. Sequitur enim, « Et propter hanc in altum regredere¹, » id est, et propter hanc congregationem generis humani, qua Ecclesiæ refertæ sunt, in altum regredere, id est, rursus desine intelligi. Quid est ergo, « Et propter hanc, » nisi quia et ista te offensura est, ita ut verissime prænunties, dicens: « Putas cum venerit Filius hominis, inveniet » fidem super terram²? » Item dicit de pseudo-prophetis, qui intelliguntur hæretici: « Propter eorum iniquitatem » refrigescet charitas multorum³. » Cum ergo et in Ecclesiis, hoc est, in illa congregatione populorum atque gentium, ubi nomen christianum latissime pervagatum est, tanta erit abundantia peccatorum, quæ jam ex magna parte sentitur; nonne illa hic prædicatur, quæ per alium quoque Prophetam denunciata est, fames verbi⁴? Nonne et propter hanc congregationem peccatis suis a se lumen veritatis abalienantem Deus in altum regreditur, id est, ut aut non, aut a perpauca, de quibus dictum est; « Beatus » qui perseverarit usque in finem, hic salvus erit⁵, » teneatur et percipiatur sincera fides, et ab omnium pravarum opinionum labe purgata? Non ergo immerito dicitur, « Et propter hanc congregationem in altum regredere: » id est, secede rursus in altitudinem secretorum tuorum, etiam propter hanc congregationem populorum quæ habet nomen tuum, et facta tua non facit.

VIII. Sed sive superior, sive ista sit congruentior hujus loci expositio, sine præjudicio alterius alicujus melioris aut parvis, convenientissime sequitur, « Dominus judicat » populos⁶. » Sive enim in altum regressus est, cum post

¹ Psal. vii, 8. — ² Luc. xviii, 8. — ³ Matth. xxiv, 12. — ⁴ Ames. viii, 11. — ⁵ Matth. x, 22. — ⁶ Psal. vii, 9.

resurrectionem ascendit in coelum, bene sequitur, « Dominus » judicat populos: » quia inde venturus est judicare vivos et mortuos. Sive in altum regrediatur, cum peccatores christianos deserit intelligentia veritatis: quia de ipso adventu dictum est, « Putas veniens Filius hominis » inveniet fidem super terram¹? Dominus ergo judicat » populos. » Quis Dominus, nisi Jesus Christus? « Pater » enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit » Filio². » Quapropter hæc anima quæ perfecte orat, vide quemadmodum non timeat judicii diem, et vere securo desiderio dicat in oratione: « Veniat regnum tuum³: » Judica me, Domine, secundum justitiam meam⁴. » In superiori Psalmo infirmus deprecabatur, misericordiam potius implorans Dei, quam commemorans ullum meritum suum: quoniam Filius Dei peccatores venit vocare in penitentiam⁵. Itaque ibi dixerat: « Salvum me fac, » Domine, propter misericordiam tuam⁶: » id est, non propter meritum meum. Nunc autem quoniam vocatus tenuit et servavit præcepta quæ accepit, audet dicere: » Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me⁷. » Ista est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. Itaque bene se judicari postulat secundum innocentiam suam, qui vere dicere potuit: « Si reddidi retribuentibus mihi mala⁸. » Quod autem addidit, « Super me, » non ad innocentiam tantum, sed ad justitiam quoque subaudiri potest: ut iste sit sensus: « Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam, quæ justitia et innocentia super me est: » Quo additamento demonstrat id ipsum quod anima justa est et innocens, non per se habere, sed per illustrantem et illuminantem Deum. De hac enim dicit in

¹ Luc. xviii, 8. — ² Joan. v, 22. — ³ Matth. vi, 10. — ⁴ Psal. vii, 9. — ⁵ Luc. v, 32. — ⁶ Psal. vi, 5. — ⁷ Id. vii, 9. — ⁸ Ibid. 5.

alio Psalmo : « Tu illuminabis lucernam meam, Domine¹. » Et de Joanne dicitur, « Quia non erat ille lumen, sed » testimonium perhibebat de lumine². Ille erat lucerna » ardens et lucens³. » Lumen ergo illud unde animæ tanquam lucernæ accenduntur, non alieno, sed proprio splendore præfulget, quod est ipsa veritas. Ita ergo dicitur, « Secundum justitiam meam, et secundum innocentiam » meam super me, » tanquam si lucerna ardens et lucens diceret : « Judica me secundum flammam quæ super me est, id est, non qua sum ego, sed qua fulgeo accensa de te.

IV. « Consummetur autem nequitia peccatorum⁴. Con- » summetur, » inquit, perficiatur, secundum illud quod est in Apocalypsi, « Justus justior fiat, et sordidus sordescat » adhuc⁵. » Videtur enim consummata nequitia hominum qui crucifixerunt Filium Dei : sed eorum major est, qui nolunt recte vivere, et oderunt præcepta veritatis, pro quibus crucifixus est Filius Dei. Consummetur ergo, in- » quit, nequitia peccatorum, id est, perveniatur ad summam nequitiam, ut possit justum jam venire judicium. Sed quoniam non solum dictum est : « Sordidus sordescat » adhuc; » sed etiam dictum est, « Justus justior fiat : » annectit et dicit, « Et diriges justum, scrutans corda et » renes Deus⁶. » Quomodo ergo justus dirigi potest, nisi in occulto; quando etiam per illa quæ initio temporum christianorum, cum adhuc persecutione sæcularium hominum sancti premerentur, miranda videbantur hominibus, nunc postquam in tanto culmine nomen cœpit esse christianum, crevit hypocrisis, id est, simulatio, eorum scilicet qui nomine christiano malunt hominibus placere quam Deo? Quomodo ergo dirigitur justus in tanta confusione simulationis, nisi dum scrutatur corda et renes Deus, videns

¹ Psal. xvii, 29. — ² Joan. 1, 8. — ³ Id. v, 35. — ⁴ Psal. vii, 10. — ⁵ Apoc. xxii, 11. — ⁶ Psal. vii, 10.

omnium cogitationes, quæ nomine cordis significatæ sunt; et delectationes, quæ nomine renum intelliguntur? Recte quippe temporalium et terrenarum rerum delectatio re- nibus tribuitur : quia et ipsa pars est inferior hominis, et ea regio est ubi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnosam et fallacis lætitiæ vitam, per successionem proles natura humana transfunditur. Scrutans ergo cor nostrum Deus, et perspicuens ibi esse ubi est thesaurus noster¹; id est, in cœlis : scrutans etiam renes, et perspicuens non nos acquiescere carni et san- » guini², » sed delectari in Domino, dirigit justum in ipsa conscientia coram se, ubi nullus hominum videt, sed solus ille qui perspicit quid quisque cogitet, et quid quem- que delectet. Finis enim curæ delectatio est, quia eo quis- que curis et cogitationibus nititur, ut ad suam delectatio- nem perveniat. Videt igitur curas nostras, qui scrutatur cor; videt autem fines curarum, id est, delectationes, qui perscrutatur renes : ut cum invenerit, non ad concupiscentiam carnis, neque ad concupiscentiam oculorum, neque ad ambitionem sæculi, quæ omnia transeunt tan- quam umbra³, inclinari curas nostras, sed ad gaudia rerum æternarum sustolli, quæ nulla commutatione vio- lantur, dirigat justum, scrutans corda et renes Deus. Opera enim nostra, quæ factis et dictis operamur, possunt esse nota hominibus : sed quo animo fiant, et quo per illa per- venire cupiamus, solus ille novit, qui scrutatur corda et renes Deus.

X. « Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit » rectos corde⁴. » Duo sunt officia medicinæ; unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Juxta illud primum, dictum est in superiore Psalmo : « Miserere

¹ Matt. vi, 21. — ² Galat. vi, 16. — ³ I Ioan. ii, 16, 17. — ⁴ Psal. vii, 11.